

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Rapina i cum uariis

Quis dicat utile hominem incommodo alterius suum commodum augere, et alterum altero aliquid detrahere? Hoc est magis contra naturam quam mors, quam paupertas, quam dolor. Nam in principio conuictum hominum tollit. Si enim hec affectio nobis insit ut quisque propter suum emolumentum spoliet aut uiolet alterum, necesse est dirumpi societatem humani generis que est secundum naturam. Vt si unumquodque membrum putaret se plus ualere, si proximi membri ad se ualitudinem transduxisset debilitari et interire totum corpus necesse esset, ita est et in humana societate. Nam sicut concessum est ut quisque malit sibi adquirere quod ad usum uite pertineat quam alteri, et hoc natura non repugnante, ita non patitur natura ut aliorum spoliis nostras facultates augeamus. Et sicut contra naturam magis est detrahere alteri sui commodi causa quam mors, quam dolor, ita magis secundum naturam pro omnibus, si fieri posset, labores et molestias suscipere quam uiuere sine molestiis in maximis uoluptatibus.

Tullius in sua rethorica.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

altero] alteri V² L¹ L²; in om. L¹ L²; sicut] si P V¹ V² L¹ L²; est om. P V¹ V² L¹ L²; suscipere quam uiuere sine molestiis om. P V¹ V² L¹ L²